



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Vtrum homo sit liberi arbitrij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

appetendo, non enim homo tenetur prosequi meliora semper in operando, nisi sint talia, ad quae ex praecepto obligetur, aliter enim quilibet teneretur sequi perfectionis consilia, quae constat esse meliora.

Ad v. Dicendum, quod quaedam sunt, in quibus Christum admirari possumus, non imitari: sicut ea quae pertinent ad diuinitatem eius, & ad beatitudinem quam habuit adhuc uiuator existens, ad quod pertinet quod Christus quantum ad uoluntatem diuinam voluntati conformabat.

QVAESTIO XXIII.

De libero arbitrio.

In quindecim articulos diuisa

- ¶ Primo queritur, utrum homo sit liberi arbitrij.
- ¶ Secundo, Utrum liberum arbitrium sit in brutis.
- ¶ Tertio, Utrum liberum arbitrium sit in Deo.
- ¶ Quarto, Utrum liberum arbitrium sit in potentia, uel non.
- ¶ Quinto, Utrum liberum arbitrium sit una potentia, uel plures.
- ¶ Sexto, Utrum liberum arbitrium sit uoluntas, uel potentia alia a uoluntate.
- ¶ Septimo, Utrum possit esse aliqua creatura, quae liberum arbitrium habeat naturaliter confirmatum in bono.
- ¶ Octauo, Utrum liberum arbitrium creature possit confirmari in bono per aliquod donum gratiae.
- ¶ Nono, Utrum liberum arbitrium hominis in statu uic possit confirmari in bono.
- ¶ Decimo, Utrum liberum arbitrium creature possit esse obstatum in malo, uel immutabiliter firmatum.
- ¶ Undecimo, Utrum liberum arbitrium hominis in statu uic possit esse obstatum in malo.
- ¶ Duodecimo, Utrum liberum arbitrium sine gratia, in statu peccati, mortalis possit uic peccatum mortale.
- ¶ Tertiodecimo, Utrum aliquis in gratia existens possit uitare peccatum mortale.
- ¶ Quartodecimo, Utrum liberum arbitrium possit in bonum sine gratia.
- ¶ Quintodecimo, Utrum homo sine gratia possit se preparare ad gratiam habendam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum homo sit liberi arbitrij.

QVAESTIO est de libero arbitrio. Et primo queritur, utrum in homine sit liberum arbitrium. Et uidetur quod non, ut n. dicitur Hiero. non est hominis uia, nec uiri est, ut ambulet & dirigat gressus suos; secundum hoc autem dicitur aliquid esse liberi arbitrij, quod est Dominus suorū operum, ergo homo non est liberi arbitrij. sed diceretur, quod uerbum Prophetae intelligitur de actibus meritorijs, qui non sunt in naturali hominis potestate.

¶ 2 Sed contra, Ad ea quae non sunt in potestate nostra, non sumus liberi arbitrij. si ergo merita non sunt in potestate nostra, non sumus liberi arbitrij ad merendum, & sic actus meritorij non procedēt ex libero arbitrio.

¶ 3 Præter. Secundum Philos. in 1. Metaphy. liberum

A est quod sui causa est: sed mens humana habet aliam causam sui motus quam seipsam. Deum, quia Roman. 1. super illud, Propterea tradidit illos Deus, dicit glossa, manifestum est Deum operari in mentibus hominum ad conuertendas uoluntates eorum in quodcumque uoluerit, ergo mens humana non est liberi arbitrij. Sed diceretur, quod mens humana est, sicut causa principalis sui actus: Deus autem sicut remota, & hoc non impedit, mentis libertatem.

¶ 4 Sed contra, Quanto aliqua causa magis influit in effectum, tanto est principalior: sed causa prima plus influit in effectum quam secunda, ut dicitur in lib. de Causis, ergo causa prima est principalior, quam secunda, & ita mens nostra non est principalis causa sui actus: sed Deus.

¶ 5 Præter. Oē quod mouet, est sicut instrumentum, ut patet per Commenta. in 8. Phys. instrumentum autem non est liberum ad agendum, cum nō agat, nisi secundum quod aliquis eo uiruit. cum ergo mens humana non operetur, nisi mota a Deo, uideatur quod non sit liberi arbitrij.

¶ 6 Præter. Liberum arbitrium dicitur esse facultas uoluntatis, & rationis: qua bonum eligitur gratia assistente, uel malum eadem deficiente: sed multi sunt qui non habent gratiam, ergo nō possunt libere eligere bonum, & ita non habent liberum arbitrium ad bona.

¶ 7 Præter. Seruitus libertati opponitur: sed in homine inuenitur seruitus peccati; quia qui facit peccatum, seruus est peccati, ut dicitur Io. 8. ergo in homine non est liberum arbitrium.

¶ 8 Præter. Ansel. dicit in libro de Libero arbitrio, si haberemus potentiam peccandi & non peccandi gratia non indigeremus. potentia autem peccandi, & non peccandi est liberum arbitrium, ergo cum gratia indigemus liberum arbitrium non habemus.

¶ 9 Præter. Ab optimo unumquodque denominatum est, ut ex Philos. habetur in 2. de Anima: sed optimum inter humanos actus sunt actus meritorij. cum igitur ad hos homo non sit liber. arb. ga ut dicitur Io. 15. sine me nihil potestis facere, quod de actibus meritorijs intelligitur, uidetur quod homo non sit dicendus lib. arb.

¶ 10 Præter. Aug. dicit, Quia homo noluit abstinere a peccato cum potuit, inflicum est ei non posse cum uelit, ergo nō est in potestate hominis peccare & non peccare, & sic uidetur non esse Dns suorū actuum, nec liberi arbitrij.

¶ 11 Præter. Bern. distinguit triplicem libertatem, scilicet libertatem arbitrij, libertatem consilij, & libertatem beneplaciti, & dicit quod libertas arbitrij est, qua discernimus quid liceat: libertas consilij qua discernimus quid expediat: libertas beneplaciti, qua discernimus quid libeat: sed discretio humana per ignorantiam est fauciata, ergo uidetur quod libertas arb. quae in discretionem consistit in hominem post peccatum non remansit.

¶ 12 Præter. Respectu eorum non habet libertatem, respectu quorum habet necessitatem: sed respectu peccatorum homo habet necessitatem: quia post peccatum secundum Aug. necesse est hominem peccare, ante reparationem quidem mortaliter, post reparationem uero saltem uenialiter, ergo ad peccata homo non est liberi arbitrij.

¶ 13 Præter. Quicquid Deus praescit, necesse est euenire cum praesentia Dei falli non possit: sed oēs actus humanos Deus praescit, ergo de necessitate eueniunt, & ita hō non est liberi arbitrij ad agendum.

¶ 14 Præter. Quanto aliquid mobile est magis proprium, Quæst. diu. S. Tho. KKK 2 quum

Glo. ord. libi. sumitur: ex Aug. in li. de gratis, & li. arb. c. 1. 67

Propos. 1. ro. 3. inter op. ra Arbit.

Com. 35.

C6. 49. 10.

In li. de gratis & lib. arb. inter princ. & med.

quum primo motori, tanto est magis uniforme in suo motu, sicut patet de corporib. celestibus, quorum motus semper eodem modo se habent: sed cum omnis creatura a Deo moueatur, mouet. n. creaturam corporalem per tempus & locum, spiritua- lem vero per tempus, ut dicit August. 8. super Genes. ad literam, rationalis creatura est mobile propinquissimum Deo, qui est primus omnium motor. ergo habet motum maxime uniformem, & sic facultas eius ad plura non se extendit, ut per hoc possit dici liberi arbitrii.

Ca. 20. to. 3.

Com. 62. & sequens. r. 2.

4. de Trin. c. 14. in pri. Et li. 2. super Genes. c. 16. tom. 3.

¶ 15 Præ. Secundum Philo. in 2. Celi & Mundi de nobilitate supremi celi est, ut finis suum motu unico consequatur: sed anima rationalis est nobilior illo celo, cum Spiritus corpori præferatur fm Aug. 8. de Ciuit. Dei. ergo anima humana habet vicium motum, & ita non uidetur esse liberi arbitrii.

¶ 16 Præ. Decuit diuina bonitate, ut creatura sublimissima optime collocaret: sed optime collocatum est quod immobiliter optimo adhæret. ergo decuit, ut Deus rationalem naturam, quæ est sublimissima inter creaturas, faceret talè quæ sibi immobiliter adhereret: quod si esset liberum arbitrium, ut vult, non haberet. ergo decuit, ut natura rationalis, sine libero arbitrio fieret.

¶ 17 Præ. Philosophi definiunt lib. arb. esse liberum de ratione iudicium: iudicium vero rationis cogi potest uirtute demonstrationis: quod autem cogitur non est liberum. ergo homo non est liberi arbitrii.

¶ 18 Præ. Propter hoc intellectus seu ratio cogi potest, quod est aliquod verum cui nulla falsitas admiscetur, nec apparentia falsitatis. unde non est intellectus subterfugere, quæ ei essentiat: sed similiter inuenitur aliquid quod bonum cui nihil malitiæ admiscet, nec secundum rei ueritatem, nec secundum apparentiam. cum ergo bonum sit obiectum uoluntatis, sicut uerum intellectus, ut quod sicut intellectus cogitur, ita uoluntas, & sic homo non habet libertatem. nec quantum ad uoluntatem, nec quantum ad rationem, & sic non habebit lib. arb. quod est facultas uoluntatis & rationis.

Ca. 1. a. m. d. to. 5.

¶ 19 Præ. Secundum Philosophum in 3. Ethic. qualis unusquisque est, talis finis uidetur ei: sed non est in potestate nostra quod sumus tales, vel tales, cum hoc homo ex aauinitate habeat & dependeat, ut quibusdam uidetur ex dispositione stellarum. ergo non est in potestate nostra, ut hunc, uel illum finem appetamus: sed omne iudicium de agendis ex fine sumitur. ergo non sumus lib. arb.

¶ 20 Præ. Liberum necessitati opponitur: sed respectu quorundam uoluntas hominis necessitate habet, de necessitate enim uult beatitudinem. ergo non habet respectu omnium libertatem, & ita non est liberi arbitrii quantum ad omnia.

Interlinea- tis sibi.

SED CONTRA est, quod dicitur Eccl. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. gl. id est in potestate liberi arbitrii.

¶ 2 Præ. Inuenitur in rebus aliquid agens quod agit ex nihilo, & non ex necessitate, scilicet Deus, aliquid etiam agens quod agit ex aliquo, & ex necessitate sicut agentia naturalia: sed positus extremis in rerum natura, consequens est, ut media ponantur secundum philosophum in 2. Cæli & Mundi. Inter hæc autem duo non potest esse nisi duplex medium, quorum alterum est impossibile esse, scilicet agens ex nihilo, & de necessitate: ex nihilo autem agere solius Dei est qui non ex necessitate agit, sed ex uoluntate. ergo relinquatur esse aliquid quod agit ex aliquo, & non ex necessitate, & hoc est rationalis natura, quæ agit ex præsupposita materia, & non ex necessitate: sed ex arbitrii libertate.

C6. 18. to. 3.

¶ 3 Præ. Lib. arb. est facultas uoluntatis, & ratio in homine inuenitur ratio, & uoluntas. ergo & lib. arb.

¶ 4 Præ. Secundum Philosophum in 3. Ethic. consilium non est, nisi eorum, quæ in nobis sunt: sed homines se suis actibus consiliantur. ergo homines sunt domini suorum actuum, & per hoc liberi arbitrii.

¶ 5 Præ. Præcepta & prohibitiones fieri non debent nisi ei, qui potest facere & non facere, aliter frustra fierent: sed homini diuinitus sunt prohibitiones, & præcepta. ergo in hominis potestate est facere, & non facere, & ita est liberi arbitrii.

¶ 6 Præ. Nullus debet puniri, uel præmari pro eo, quod non est in eius potestate facere, & non facere: sed homo iuste a Deo punitur, & præmari pro suis operibus. ergo homo potest operari, & non operari, & ita est liberi arbitrii.

¶ 7 Præ. Omnium quæ sunt, aliquam causam ponere oportet: sed humanorum actuum non possunt ponere causam ipsam Deum immediate: quia ea quæ a Deo immediate sunt, non possunt esse nisi bona: actus autem humani sunt quandoque boni, quandoque mali. Similiter non potest dici quod humanorum actuum sit causa necessitas: quia ex necessitate proueniunt quæ se eodem modo se habent, quod in humanis actibus non uidemus. Similiter non potest dici quod fatum, uel stellarum dispositio sit causa eorum: quia oportet actus humanos ex necessitate accidere, sicut & causa necessitas est. Nec etiam natura eorum causa esse potest, quod ostendit humanorum actuum uarietas, natura determinata est ad unum, nec ab eo dicitur, nisi in minori parte. Nec fortuna, uel casus humanorum actuum causa esse potest: quia fortuna & casus sunt causa eorum, quæ raro & præter intentionem accidunt, ut dicitur in 2. Physic. quod in humanis actibus non apparet: relinquatur igitur ipsum hominem facientem, esse principium suorum propriorum actuum, & per hoc esse liberi arbitrii.

RESPON. Dicendum, quod ab his qui dubitatione hominem arbitrio liberum ponere oportet. Ad hoc non potest astringi cum sine lib. arb. non possit esse meritum, uel demeritum, iusta pena, uel premium. Ad hoc etiam manifestata iudicia inducunt, quibus apparet hominem libere uult eligere, & aliud refutare. Ad hoc etiam respondens ratio cogit, quæ quidam ad investigationem lib. arb. originis sequentes hoc modo procedimus. In rebus quæ mouentur, uel aliquid agunt, hæc inuenitur causa, quæ mouentur, uel operantur in seipsis: hæc sunt hæc: quedam uero extra se, sicut ea quæ per uoluntatem mouentur, in quibus principium est extra se, continent uim passio, fm philosophum in 3. Ethic. in quibuslibet lib. arb. ponere non possumus, eo quod non sunt causa sui motus: liberum autem est quod sui causa est, fm philosophum in princ. Metæ. Eorum autem, quorum principium motus & operis in ipsis est, quedam rationem sunt quod ipsa seipsa mouent, sicut aialia: quedam autem quæ non mouent seipsa, quæ in seipsis sui motus autem quod principium habent, sicut grauia & leuia, non nisi per seipsa mouent, cum non possint distinguere in duas partes, quarum una sit mouens, & alia mota, sicut in aialibus inuenitur, quamuis motus eorum consequatur aliquod principium in seipsis. forma. Quæ generantur habent, deum a generante moueri per se, fm philosophum in 8. physic. sed a mouente prohibens per se, unde nec in his lib. arb. inuenitur: quia non sunt sub ipsis causa agendi, uel mouendi: sed astringuntur ad agendum, uel mouendum per id, quod ab altero receperunt. Eorum autem, quæ a seipsis mouentur, quæ-

quorundam motus ex iudicio rationis proueniunt, quorundam vero ex iudicio naturali. Ex iudicio rationis homines agunt & mouentur, conferunt. n. de agendis; sed ex iudicio naturali agunt & mouentur omnia bruta. Quod quidem patet, tum ex hoc quod omnia, quæ sunt eiusdem speciei similiter operantur, sicut omnes hirundines similiter faciunt nidum; tum ex hoc quod habent iudicium ad aliqd opus determinatum & non ad omnia: sicut apes non habent industriam ad faciendū aliquid aliud opus, nisi fauos mellis, & similiter ē de aliis animalibus. Vnde recte consideranti apparet, quod per quem modum attribuitur motus & actio corporibus naturalibus inanimatis, per eundem modum attribuitur brutis animalibus iudicium de agēdis. Sicut. n. graua & leuia non mouent seipsa, ut per hoc sint causa sui motus, ita nec bruta iudicant de suo iudicio: sed sequuntur iudicium sibi a Deo inditum, & sic non sunt causa sui arbitrii, nec libertatē arbitrii hnt; homo uero per virtutem rōnis iudicans de agendis potest de suo arbitrio iudicare, in quantum cognoscit rationē finis, & eius quod est ad finem & habitudinem & ordinem unius ad alterum: & ideo non est solū causa sui ipsius in mouendo, sed in iudicādo. Et ideo est liberi arbitrii: ac si dicatur liberi iudicii de agendo, uel non agendo.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod in opere hominis duo est inuenire, selectionem operū, & hæc semper in hominis potestate consistit, & operum gestionem siue executionem, & hæc nō semper in potestate hominis est; sed diuina prouidentia gubernante præsuppositum hominis ad finem quandoque perducitur, quandoque uero non. Et ideo homo nō dicitur esse liber suarum actionum; sed liber electionis, quæ est iudicium de agēdis. Et hoc ipsum nomen liberi arbitrii demonstrat. Vel potest distinguī de merito opere: sicut in obiectionibus tactū est, tamen prima responsio est Greg. Nissenii.

AD II. Dicendum, quod opus meritorium a non meritorio non distat in quid agere; sed in qualiter agere. Nihil. n. est, quod vnus homo meritorie agat, & ex charitate, quod alius non possit absque merito agere, uel uelle. Et ideo hoc, quod homo nō potest sine gratia agere meritoria, nihil derogat perfectæ libertati: quia homo dicitur esse liberi arbitrii, secundum quod potest agere hoc uel illud, non secundum quod potest sic, uel sic agere; quia secundum Philosophum ille, qui nondum habet habitum virtutis, nō habet in sua potestate agere taliter qualiter uirtuosus agit, nisi in quantum potest acquirere habitum virtutis. Gratiam autem quæ opera meritoria facit, quamuis homo non possit ex libero arbitrio acquirere: potest tamen se ad gratiam habendam preparare, quæ ei a Deo non denegabitur, si fecerit quod in se est. Et ideo nō est omnino extra potestatem liberi arbitrii opera meritoria agere, quamuis ad hoc per se potestas liberi arbitrii nō sufficiat, eo quod modus qui ad meritum requiritur, facultatem naturæ excedit, non autem modus qui est in operibus ex virtutibus politis. nullus autem diceret propter hoc hominem non esse liberi arbitrii: quia non potest taliter uelle, uel eligere qualiter Deus, uel angelus.

AD III. Dicendum, quod Deus operatur in vnoquoque agente etiā secundum modum illius agentis: sicut causa prima operatur in operatione cause secundæ, cum secunda causa non possit in tactum procedere, nisi per virtutē causæ primæ. Vñ per hoc, quod Deus est causa operans in cordibus hominum, non exclu-

ditur quin ipse humane mentes sint causæ suorum motuum. Vnde non tollitur ratio libertatis.

AD IIII. dicendum, quod causa prima dicitur esse principalis simpliciter loquedo, pp hoc quod magis influit in effectū: sed cā secunda sūm quid principalis est, in quantum effectus ei magis conformatur.

AD V. dicendum, quod instrumentum dupliciter dicitur. Vno modo proprie, quod scilicet aliquid ita ab altero mouetur, quod nō confertur ei a mouente aliquod principium talis motus: sicut terra mouetur a carpentario, & tale instrumentum non est expers libertatis. Alio modo dicitur instrumentum magis communiter quicquid est mouens ab alio motū, siue sit in ipso principium sui motus, siue non, & sic ab instrumento non oportet, quod omnino excludatur rō libertatis: quia aliquid potest esse ab alio motū, quod tamen seipsum mouet, & ita est de mēte humana.

AD VI. Dicendum, quod ille qui non hnt gratiam potest eligere bonū: sed nō meritorie, hoc autem non derogat libertati arbitrii, ut dictum est.

AD VII. Dicendum, quod seruitus peccati non dicitur coactionem: sed uel inclinationem in quantum peccatum præcedens aliquo modo inducit ad sequentia, uel per defectum virtutis naturalis, quæ non potest se a macula peccati eripere, cui se semel subdidit, & ideo semper in homine remanet libertas a coactione, per quam naturaliter est liberi arbitrii.

AD VIII. Dicendum, quod Anselm. in uerbis illis loquitur quasi obiciendo. Ipse n. postmodū ostendit, quod indigentia gratiæ libe. arb. non contradicit.

AD IX. Dicendum, quod ad ipsum opus, quod est meritorium, se extendit potestas libe. arb. quis non sine Deo, sine cuius uirtute nihil est in mundo quod agere possit; sed motus ille quo opus fit meritorium, naturalem facultatem excedit, ut dictum est.

AD X. dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam n. dicunt quod homo in peccato mortali existens non potest uitare diu, quin mortaliter peccet, potest tñ uitare hoc uel illud peccatum mortale, sicut communiter omnes dnt de peccatis uenialibus & sic non ut hæc necessitas tollere arbitrii libertatem. Alia opinio est, quod homo in peccato mortali existens potest omne peccatum mortale uitare, non tamen potest uitare quin sit sub peccato, quia non potest per seipsum a peccato rescindere, sicut potuit per se ipsum in peccatum cadere, & secundum hoc facilius sustinetur arbitrii libertas, de hoc tamen infra quæretur, cū erit questio de potestate liberi arbitrii.

AD XI. dicendum, quod uoluntas nostra fertur in finem, uel in id quod est ad finem: in finem uero, honestum, uel delectabilem, uel utilem, secundum quod triplex bonum distinguitur, honestū, utile, & delectabile. Respectu ergo finis honesti potest esse ad finem, libertatē consilij: respectu autem boni delectabilis libertatem beneplaciti. Quamuis autem discretio sit per ignorantiam diminuta, non tñ omnino ablata, Et ideo libertas arbitrii per peccatum est quidem debilitata: sed non omnino amissa.

AD XII. Dicendum, quod homo hnt necesse peccare post peccatum, ante reparationem, i. habere peccatum; non autem hnt necesse uti peccato secundum vnam opinionem. Sic igitur dupliciter peccare dicitur, sicut & videre secundum Philosophum in 2. de Anima, uel secundum aliam opinionem habet necesse peccare aliquo peccato: cum tamen respectu nullius habeat necessitatem.

Quæst. diu. S. Tho. KKK 3 AD

In solut. ad 3. arg.

In solut. ad 2. arg.

In solut. ad 2. arg.

ronis. sed
& lib. ar.
lib. ar.
omnes de
sunt do
bitrii.
i non de
re, alia n.
in promi
dicitur est
tri.
in pro eo,
non face
naturarum
ri, & non
caulam po
non pecc
late: quia
sunt effe
doque bo
dici quod
tia ex me
le habet
Similit
m dupli
humane
cessat ad
teli, quod
aura n.
ict, nisi in
humanoru
eius, aut
onem acci
suis actib.
hominem
notum e

AD XIII. Dicendum, quod ex præscientia Dei, non potest concludi quod actus nostri sint necessarii necessitate absoluta, quæ dicitur necessitas consequens: sed necessitate conditionata, quæ dicitur necessitas consequens, ut patet per Boetium in fine de consola. philosophic.

3. de Conf. prof. ult. a med. Com. 9. & 10. 10. 3.

AD XIV. Dicendum, quod moveri dupliciter dicitur. Vno modo proprie prout Philosophus definit motum in 3. Physic. dicens, quod motus est actus existens in potentia secundum quod huiusmodi. Et sic verum est, quod quanto aliquod mobile propinquius est primo motori, tanto in eodem maior uniformitas motus invenitur: quia quanto est propinquius primo motori, tanto est perfectius & magis in actu existens & minus in potentia, & id paucioribus motibus mobile. Alio modo dicitur motus large operatio quælibet, sicut intelligere vel sentire. Et sic accipiendo motum Philosophus dicit in

3. de anima, quod motus est actus perfecti, quia unum quodque operatur secundum quod est in actu. Et sic quodammodo propositio habet veritatem, quodammodo vero non. Si enim uniformitas motus attendat ex parte effectuum, sic falsitatem habet: quia quanto aliquod operans est virtuosius & perfectius, tanto ad plures effectus eius virtus se extendit. Si vero attendat quantum ad modum agendi, sic propositio veritatem habet: quia quanto est perfectius aliquod operans, tanto magis observat eundem modum in agendo: quia minus variatur a sua natura & dispositione, quam sequitur modus agendi; mentes autem rationales dicuntur esse mobiles, non primo modo motus: quia talis motus est solus corporum: sed secundo. Sic et Plato posuit primum movens movere seipsum, in quantum vult se & intelligit se, ut Comenius dicit in 8. Physic. Et id non oportet, quod mentes rationales sint determinate ad aliquos effectus: sed respectu multorum efficaciam habent, ratione cuius competit eis libertas.

Ex com. 40.

AD XV. Dicendum, quod non semper oportet illud nobilius esse, quod paucioribus motibus, vel operationibus suam finem consequi potest: quia ante aliquid consequitur perfectiorem finem pluribus operationibus, quam alterum unice operatione consequi potest, sicut idem Philosophus dicit. Et hoc modo mentes rationales perfectiores inveniuntur summo celo, quod unum tantum motum habet, quia perfectiorem finem consequitur, quamvis pluribus operationibus.

2. de celo. com. 62.

AD XVI. Dicendum, quod quantumvis creatura esset melior, si immobiliter Deo adhereret: tamen illa est bona quæ potest Deo adherere, & non adherere: & ita melius est univrsam, ubi utraq; creatura invenitur, quam si altera tantum invenitur. Et hæc est responsio Augustini vel potest dici secundum Gregorium Nisenum, & Damascum, quod hoc est impossibile aliquid quam creaturam esse voluntate immutabili adherentem Deo per propriam naturam, eo quod cum sit ex nihilo, flexibilis est. Si tamen aliqua creatura immobiliter adhereret Deo, non propter hoc prius libero arbitrio: quia potest adherendo multa facere, vel non facere.

In lib. 7. qui est de lib. arb. cap. ult. l. 1. c. 27.

AD XVII. Dicendum, quod iudicium cui attribuitur libertas, est iudicium electionis: non autem iudicium quo sententiat homo de conclusionibus in scientiis speculativeis. nam ipsa electio est quasi quædam scientia de præconclisariis.

AD XVIII. Dicendum, quod sicut aliquid verum est, quod propter impermissionem falsi de necessitate ab intellectu recipit, sicut prima principia demonstrationis: ita est aliquid bonum quod propter malitiam impermissionem de necessitate a voluntate appetitur, sicut

licet ipsa felicitas. Non tamen sequitur, quod ab illo obiecto voluntas cogatur: quia coactio dicitur quid contrarium voluntati, quæ est proprie inclinationis voluntatis, non autem dicitur aliquid contrarium intellectui, qui non dicit inclinationem intelligentis. Nec ex necessitate illius boni inducitur necessitas voluntatis, respectu aliorum volendorum: sicut ex necessitate primorum principiorum inducitur intellectui necessitas ad assentendum conclusionibus, eo quod alia voluta non habent necessitatem ad illud primum volitum, vel secundum veritatem, vel secundum apparentiam, vel absque illis primum volitum haberi non possunt: sicut conclusiones demonstrative habent necessitatem ad principia ex quibus demonstrantur, ita quod conclusionibus non existens veris necesse est principia non esse vera.

AD XIX. Dicendum, quod homines ex necessitate non consequuntur aliquam dispositionem immediate in anima intellectiva, per quam de necessitate inclinatur ad aliquem finem eligendum, nec a corpore caelesti, nec ab aliquo alio, nisi quod ex ipsa sui natura in eis necessarius appetitus voluntatis finis, scilicet beatitudinis, quod non impedit arbitriam libertatem, cum diversæ viæ remaneant eligibiles ad consecutionem illius finis. Et hoc ideo quia corpora caelestia non habent immediatam impositionem in animam rationalem. Ex naturæ autem consequitur in corpore nata aliqua dispositio ex virtute corporum caelestium, tum ex caliditate inferioribus quæ sunt semper & materia concepta, per quam anima quodammodo ad aliquid agendum prona efficitur, sicut in quod electio anime rationalis inclinatur ex passionibus, quæ sunt in appetitu sensitivo qui est potentia corporalis consequens corporis dispositiones: sed ex hoc nulla necessitas inducitur eis ad eligendum, cum in potestate anime rationalis sit accipere, vel etiam refutare passionem subortas: postmodum vero homo efficitur appetitibus per aliquem habitum acquisitum, cuius necessitas sumus: vel insulsum, qui sine nostro consensu inclinatur, quibus eius causa non sumus. Et ex hoc habitus efficitur, quod homo efficaciter appetat finem continentium illi habitui: & tamen ille habitus necessitatem non inducit, nec libertatem electionis tollit.

AD XX. Dicendum, quod cum electio sit quoddam iudicium de agendis, vel iudicium consequens ad hoc potest esse electio, quod sub iudicio nostro est. Iudicium autem in agendis sumitur ex fine, sicut de conclusionibus ex principiis: unde sicut de primis principiis non iudicamus, ea examinantes, sed naturaliter eis assentimus, & secundum ea omnia alia examinamus: ita & in appetitibus de fine ultimo non iudicamus iudicio discussionis, vel examinationis: sed naturaliter approbamus, propter quod de eo non est electio: sed voluntas, habens ergo respectu eius liberam voluntatem, cum necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet secundum Augustinum 5. de Civitate Dei, prout tamen liberum iudicium proprie loquendo, cum non cadat sub electione.

ARTICVLVS II.

Utrum liberum arbitrium sit in brutis.

SECUNDO queritur, utrum liberum arbitrium sit in brutis. Et videtur quod sic, secundum hoc quod dicitur in libro de animalibus, quod actus nostri sunt voluntatis.